

quod naturali aequitate contingit. Perinde ac si Romanorum patria potestas, quam Ictus tanquam rei caput respexit, aequitatem naturalem referret. Perinde ac si emancipatis liberis non aequae ac suis, perinde ac si cognatis non aequae ac agnatis naturalis conueniret aequitas. Sane quum aequitas, quae iuri repraesentandi inter descendentes inesse existimatur, vna cum omni successione ab intestato non ex voluntate defunctorum praesumpta, vtpote quam vmbaticam esse supra demonstraui, sed ex legislatoris prouidentia arbitrioque metienda sit, non video, quare haecenus instituta ciuilia aequitati repugnare dicantur naturali, quibus forte siue recta descendentes siue collateralibus ius repraesentationis negatur.

§. XIX.

Ceterum non inficior, suadere prudentiam, vt in successione ab intestato seu ordine succedendi in bona defunctorum lege ciuili definito recta descendentes ante ascendentes et collaterales collocentur. Primum enim in eo omnium fere gentium animaduertere licet quasi consensum concertumque, vt istam descendentes prae reliquis cognatis omnibus praerogatiuam vel moribus vel scripto iure concesserint. Iam quum imperantes in ferendis legibus vel sibi subiectorum moribus animorumque procliuitati prudenti consilio indulgeant, quidni commune tot populorum ciuitatumque bene moratarum ac constitutarum votum consuetudinemque in ordinanda successione ab intestato respiciant? Deinde genitoribus maximus erga liberos insitus et quasi innatus est amor caritasque, adeo vt iis de quibusuis ad vitam traducendam necessariis etiam post excessum e vita prospectum esse cupiant. Et integrum quum sit parentibus, futuram liberorum in bona sua successione dispositione inter viuos

Prudentia tamen suadet, in successione ab intestato descendentes primum locum vna cum iure repraesentationis lege lata relinquere.

D 2

seu